

*117. Instrumentum testamenti
di Gerardo de Novello*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*117. Instrumentum testamenti
di Gerardo de Novello*

1422-09-12

(c. 64r) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo quatricentesimo vicesimo secundo, regnante serenissima domina domina nostra «Iohanna secunda» Dei gratia Ungarie, Hierusalem, Sicilie, Dalmatie, Rame, Servie, Galitie, Croatie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque regina, Provincie, Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, domina nostra Ioanna secunda regina, regnorum vero eius anno ottavo feliciter amen, die duodecimo mensis settembris, prime indictionis, apud civitatem Potentie.

1

Nos Ioannes de Ciusuino habitator civitatis Potentie, eiusdem civitatis annalis iudex, Thomasius Strambus de Potentia publicus ubilibet per provincias Principatus citra et ultra serras Montorii, Capitinate et Basilicate regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico fatemur atque testamur quod predicto die nobis predictis iudice et notario et testibus ad requisitionem et preces nobis fattas pro parte donni Gerardi de Novello de Potentia ad domum habitationis ipsius sitam intus civitatem Potentie, in parrochia Santi Gerardi, suis loco et finibus limitatam, personaliter accersitis et in sala dicte domus invenimus eundem dopnum Girardum in letto iacentem infirmum; qui donnus Girardus consentiens prius in nos predictos iudicem et notarium ut in suos, cum sciret ex certa sui scientia nos suos iudicem et notarium in hac parte non esse, nostram iurisdictionem voluntarie prorogando, in nostri presentia constitutus, infirmus corpore, sanus tamen mente ac in recta sui memoria et Il computo dell'era regni è espresso per anno incipiente allungato.

loquutione pariter existens, considerans statum fragilem humane nature et quod nil est certius mortem et nichil incertius hora // (c. 64v) eius et quod mors nullis auxiliatur potentiis nec auxiliis suffragatur nec argento vel auro redimitur, nec potest quomodolibet evitari, volens saluti anime sue providere et bona sua disponere et salubriter ordinare, ministrante sibi gratia Salvatoris, ut inter heredes et successores suos nulla post eius obitum discordia oriatur, ac timens, ne quod absit, decederet intestatus, bona ut precipitur fruens memoria, sano sensu, presens suum ultimum nuncupativum in nostrum qui supra iudicis, notarii et testium subscriptorum in uno et eodem contestu in modo qui sequitur condidit testamentum seu ultimam voluntatem et condere dignum duxit. Quod quidem testamentum dictus donnus Girardus testator valere voluit et mandavit iure testamenti; et si iure testamenti forsitan non valeret seu valebit, saltim valere voluit et mandavit iure [c]odicillorum, donationis causa mortis epitole et cuiusbuslibet alterius «ultime» voluntatis, prout melius de iure valere potest et debet et debitam efficaciam obtinere, ita quod in omnem eventum et casum dictum testamentum et contenta in eo realiter exequantur et executioni debite demandantur, iuxta voluntatem, ordinem et mentem testatoris affati, cassans, irritans et annullans, ex certa eius scientia, omnia alia testamenta, codicillos seu ultimas voluntates per eum huc usque ab hactenus condita vel etiam ordinata seu ordinatas, sub quacumque verborum serie sive forma, volens et mandans quod hec sit ultima sua voluntas et quilibet sibi quocumque iure subcedens, ipsum teneatur efficaciter adimplere. In primis, quia heredis institutio cuiuslibet testamenti dignoscitur esse

capud, dictus testator instituit, ordinavit et fecit suum heredem // (c. 65r) Mattiam de Albano, filium Nicolai de [A]lbano dicti Anull(arii), nepotem suum, in omnibus suis bonis mobilibus et stabilibus, preterquam in infrascriptis legatis et fedei commissis. Item elegit sibi canonicam sepulturam intus ecclesiam Santi Gerardi, in monumento comuni presbiterorum; item legavit pro cera et denariis in die obsequiorum suorum ad arbitrium suorum epitroporum. Item legavit pro malis oblati incertis tarenos tre[s]; item in reparatione ecclesie santi Gerardi tarenos sex; item legavit in reparatione ecclesie sante Trinitatis tarenum unum; item legavit ecclesie santi Michaelis in reparatione, tarenum unum; item legavit donno Luce de Goffo domum unam que est intus civitatem Potentie, in parrochia ecclesie Santi Gerardi, qu[a] asseruit habere in beneficio et quod teneatur dicere, pro ipsa domo data sibi pro beneficio, qualibet edomada <missam unam> sua vita durante et quod idem donnus Lucas in ultimis debeat et teneatur dictam domum conditionatam, uni alteri sacerdoti ecclesie santi Gerardi relassare cum missa una celebranda in dicta ecclesia edomada qualibet et sic de singulo et singulis perpetuo dicta domus relapsetur. Item legavit donno Girardo de Pulchrino vi[ne]am unam quam asseruit tenere in beneficio, que fuit quondam Girardi de Balba, sua vita durante celebranda missa una qualibet edomada et in ultimis idem donnus Gerardus teneatur dictam vineam uni alteri presbitero ecclesie santi Gerardi relapsare cum dicta missa celebranda pro qualibet edomada de singulis ad singulos et dicta vinea dimittatur perpetuum cum dicta missa; necnon legavit eidem donno Gerardo medietatem vendemie dicte vinee. Item legavit Colangelo filio d(onn)us Mathie, nepoti suo, amore consanguinitatis

albamina quinque. Item legavit luminarie ecclesie santi Gerardi petium unum cuiusdam terre quod habet pro indiviso cum Coluccia de Aprutio, quod est in contrata Can(n)alis, subtus vineam Iacobi de Coffo; item petium aliud terre quod est in dicta contrata, iuxta vineam Russi Conte; item petium unum aliud eiusdem terre eidem luminarie in contrata ubi dicitur la Fontana de le Can(n)e, suis loco et finibus circumdata; item legavit donno Luce paterno <sic> suo spirituali, pro fatigiis suis, torchium unum; item legavit Ioannelle filie donni Andre# Cont(e) mataraccium unum usitatum pro bono servitio; item legavit cantori, ad quod sibi tenetur, tarenos duos; item legavit Comit(i) de Matera, amore consanguinitatis, tarenos tres; item legavit Caterine servitrici sue, pro bona servitia, tunicam unam novam panni viridis et corrigeam unam de argento; item toccum unum de tela de stuppa pro bona servitia sibi prestita; item legavit Antiquo, ad quod sibi tenetur, tarenos quinque; item legavit Ioanne filie Mathie, amore consanguinitatis, cultram unam novam et parum unum de lintra(n)ibus; item constituit, ordinavit et fecit suos epitropos exequutores sui presentis ultimi testamenti donnum Lucam de Coffo et Mathiam de Annull(ari)o nepotem et heredum suum, quibus dedit presentibus, audientibus et in se sponte suscipientibus dictum epitropatum, omnimodam et plenariam potestatem et auctoritatem intrandi, apprehendendi, vendendi et alienandi tantum de bonis suis, donec presens testamentum in(tus) <sic> contenta in eo plenarie exequatur et debite executioni demandatur. Unde ad futuram memoriam et ditti testatoris preces et omnium quorum et cuius interest et interesse poterit certitudinem et cautelam, fattum est exinde presens publicum instrumentum testamenti per

manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum,
mei qui supra iudicis et nostrorum subscriptorum testium
subscriptionibus roboratum.

2

3

4

5

Quod scripsi ego predittus Thomasius puplicus ut supra
notarius qui premissis omnibus rogatus // (c. 66r) et
vocatus interfui ipsumque meo consueto et solito signo
signavi. (SN) Ego Ioannes de Chitano annalis iudex
interfui et me subscripsi Ego donnus Cicconus de
Ri(c)cio archipresbiter Potentinus testis sum Ego donnus
Guillelmus de Mallano canonicus Potentinus testis
sum Ego donnus Thomasius Bu(n)dit(us) canonicus
Potentinus testis interfui Ego diaconus Baldaxar
Mordente canonicus Potentinus testis sum Ego donnus
Leonardus de Sicca testis sum Ego subdiaconus
Antonellus testis sum

6

Dubito della lettura, in seguito Chitano
Dubito dello scioglimento
Così S per? donni
Così S per linteaminibus
Così S per Riccardo (da docc. coevi)